



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 00559/2026-1369/25/I

### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, cuius est omnia quae ad concessionem et usum Indulgentiarum spectant rite ordinare, vi facultatum sibi specialissimo modo tributarum a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Leone Divina Providentia Papa XIV, Ministro fidei ac laetitiae nostrae, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Alexandro King Sample, Archiepiscopo Metropolitae Portlandensi in Oregon, benigne concedit ut, in iubilaeo ipsius Cathedralis ecclesiae, sub tit. Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus qui, vere paenitentes atque caritate compulsi, iisdem interfuerint sacris, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.


Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope communicationis instrumentorum propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XIV mensis Februarii, anno Domini MMXXVI.

Angelus card. de Bonis  
Paenitentiarum Major

+ Christophorus Iosephus Nykuil  
Episcopus tib. Velicensis, Rovens



Prot. N. 00558/2026-1368/25/I

## DECRETUM

*PAENITENTIARIA APOSTOLICA, cuius est omnia quae ad concessionem et usum Indulgentiarum spectant rite ordinare, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo tributarum a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Leone Divina Providentia Papa XIV, Ministro fidei ac laetitiae nostrae, attentis precibus iam allatis ab Exc.mo Domino Alexandro King Sample, Archiepiscopo Metropolita Portlandensi in Oregon, in centesimo consecrationis anniversario ipsius Cathedralis ecclesiae, sub tit. Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, de immensa Dei misericordia caelestibusque Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) ab omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis a die XIV Februarii MMXXVI usque ad diem XIII Februarii MMXXVII lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Cathedralis Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint vel saltem, per congruum temporis spatium, piis considerationibus aut orationibus aliisque christianae pietatis operibus ad Dei gloriam vacaverint et pro pace et populorum concordia pias ad Deum preces contra hodiernas aberrationes effuderint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis Reginae Pacis, Matris Misericordiae.*

*Senes, infirmi necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis, se ipsos in tribulationibus consolando.*

*Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut archidioecesanus paenitentarius, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto, generoso et misericordiam animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.*

*Praesenti per archidioecesanum Iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.*

*Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XIV mensis Februarii, anno Domini MMXXVI.*

*Angelus card. de Donatis  
Paenitentiarum Major*

*+ Christophorus Iosephus Nybel  
Episcopus tib. Velicensis, Refers*